



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici  
Semestria duo**

**Strauch, Johann**

**Jenae, 1675**

Cap. III. Ad cap. ult. de usu & auct. pall.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10224**

## CAP. III.

## Ad cap. ult. de usu &amp; auct. pall.

## S U M M A R I A.

1. Inscriptio correcta.
2. An pro defunctis liceat cum pallio celebrare.
3. Sandalia Monachorum.
4. Trechedipna, τροχάδες.
5. Gallicula.
6. Ξυπόδημα.

*Inscriptio  
correcta.*

**E** Pigraphe hujus capituli falsa est, & rescribendum: Archiepiscopo Lugdunensi, ut est in MSto, quo Innocentius Cironius usus est. Fuit hic Archiepiscopus Raynaldus, numero octogesimus. Initialia verba sunt. *Tua nos.* Non;

*An pro de-  
functis li-  
ceat cum  
pallio cele-  
brare.*

*Quia nos,* ut Gregoriana editio. Quæstio Raynaldi erat, an licitum sit pro defunctis cum pallio celebrare. Quod negat. Fortè quia pallium festivitibus, non funestis celebrationibus conveniebat. Quà de causâ etiam purpureus color in jejuniis & memoriis defunctorum usurpabatur, teste Demetrio Chomateno in responso ad Cabasilam: ὅτι πένθες εἰσι τὰ πορφύρεα τῶν αὐτῶν ἐσθῆματῶν σήματτον ἐν μόναις: καὶ ἐν νηστῆμοις ἡμέραις καὶ ἐν μνημοσίνοις ἀπελθόντων.

*Sandalia  
Monacho-  
rum;*

De Sandaliis, Cassianus *lib. 1. c. 10.* Sandalia Monachorum Ægyptiorum caligas appellat. Et Divus Hieronymus sandalia caligas vertit. Vetus Interpres Juvenalis Græcorum crepidas Grajas caligulas vocat. Ita enim interpretatur, quæ

*Treche-  
dipna,  
τροχάδες.*

Juvenalis trechedipna vocavit, ut trechedipna essent, quæ Græcis τροχάδες. Vide tamen Octav. Ferrar. *de re vestiaria parte 2. lib. 2. c. XI.* τροχάδας exponit Hesychius σανδάλια διὰ τὸ αἰγεία φέρματ<sup>α</sup>.

*Gallicula.  
Ξυπόδημα.*

Auctori veteris glossarii τροχάδες sunt galliculæ. Idem galliculas σανδάλια reddit alio loco. Græci distinguunt inter Ξυπόδημα & σανδάλιον. Ξυπόδημα κοῖλον, calceamentum, quo totus pes amicitur: Sandalia seu soleæ plantas pedum duntaxat tangebant. Ita Pollux & Hesychius Ξυπόδηματα διὰ τὸν σανδαλίον distinguunt: Ξυπόδημασι Salvator Apostolos interdixit, non item sandaliis quæ Petrus gestavit *Act. Ap. c. 12.* Quamvis Albertus Rubenius *de re vestiaria lib. 2. c. 1.* velit crepidas seu sandalia, digitos pedum haud quidem conclusisse & tamen crus medium texisse.

Cui

Cui assentior. Hæc sandalia Christianis ex candido linteo texta, ut est in actis donationis Constantini & apud Balsamonem. Cavebant quippe, ne fierent ex morticinis aut pellibus animalium. Servius in 4. *Æneid.*

## CAP. IV.

## Ad cap. I. II. &amp; III. de Renunciat.

## S U M M A R I A.

- |                                 |                                 |
|---------------------------------|---------------------------------|
| 1. Cap. 1. Lunduna, Lunda.      | 7. Veruli, verulum.             |
| 2. Eskillus, Metropolitanus.    | 8. Ceparanum.                   |
| 3. Absolon Roschildensis.       | 9. Telesia.                     |
| 4. Cap. 2.                      | 10. Alliphia.                   |
| 5. S. I. siglarum significatio. | 11. Lectio primæ compilationis. |
| 6. Cap. 3. h. t.                |                                 |

**V**ariè legitur inscriptio, ut notant & Gregoriani: Lugdu-  
nensi, Batonensi, Londonensi. Vera lectio exhibetur in  
antiquâ collectione prima: Lundensi Archiepiscopo. Lun-  
da, Lundona, metropolis Daniæ, qua de supra ad c. 2. X.  
de consuet. Errat itaque Contius putans Lundonium pro Londi-  
no appellasse Barbaros jam inde à tempore B. Gregorii, urbem no-  
bilem in Britannia insula. Rescribit Alexander III. Eskillo Me-  
tropolitano, quem Legatum per Daniam & Sueciam constituerat,  
petenti, ut sibi emerito missio daretur. Quod etsi hac decretali  
non impetrabat, tandem tamen victus iteratis precibus Alexan-  
der III. indulserat, ut ex integra decretali & Saxone Grammatico  
lib. 14. sub finem videre est. Successit in ejus locum Absolon Ro-  
schildensis Episcopus, licet invitus; Recusanti enim pallium in-  
gestum fuisse per Galandum Legatum à Pontifice in eam rem  
missum, ait Saxo. Eskillus autem monachi habitum assumpsit in  
Cisterciensi monasterio, ubi mortuus est. Vide epistolas Petri  
Cellensis lib. 1. Epist. 23. & lib. 7. Ep. 17. & lib. 8. Ep. 1.

Caput 2. quod tertium est primæ compilationis, inscribitur  
Abbati Dalonensi. Raymundus, Dolensi, Contius Dolonensi.  
Canonici S. I. ut Raymundus habet, & Contius, intelliguntur S. S. I. siglarum  
Juliani, & ita legi in Barcinonensi & veteri Tarraconensi testatur

Q

Ant.